Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 277
Quelle:
Copyright:

remiſſionem omnium peccatorum &c. ſequitur Expoſitio, quae ϛιχηρως ita procedit: *Diligite iuſticiam qui iudicatis terram. Iſte liber dicitur liber Sapiencie quam ſapienciam qui voluerit habere et eam inuenire oportet iuſticiam diligere. Et de illo ſuper iſtis verbis erit ſermo* &c. Non tantum ad margines et inter Textus lineas inveniuntur γλοσσηματα *Bohemica*, ſed ipſi etiam Commentario inſerta ſunt, unde Opus non ſcriptum modo, ſed et compoſitum in *Bohemia* autumem, licet Autorem nequeam indicare. Finit ille: *Magnificetur anima mea in oculis domini et liberet me de omni anguſtia. Quod nobis concedat qui ſine fine viuit et regnat deus in ſecula ſeculorum Amen.* Subdit Scriptor: *Finis adeſt operis mercedem poſco laboris. Expliciunt dicta valde pulcra et vtilia ſuper librum qui vlgo nominatur Sapiencie Salomonis. finita Sabbato in die kathedre petri que fuit tunc temporis Sabbato ante dominicam primam XL me in qua cantatur Invocabit me Anno M° CCCC° LXXVII° Sit laus et gloria omnipotenti deo in ſecula ſeculorum Amen.*

CI. VII. 9. 8

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 285. 4. charactere craſſo exaratus et rubricis diſtinctus eſt *Commentarius* ille *in Librum Sapientiae*, quem jam *Cod.* praeced. prodidimus. Hic tamen ita ſubſcribitur: *Expliciunt dicta pulcra et vtilia ſuper librum Sapientie. Et hoc Anno domini M°CCCC° LXXXII° feria IIII in die Johannis et Pauli martirum beatorum Sit dominus deus benedictus in ſecula ſeculorum Amen.* Qua ratione *Codex* hic olim ad *Wencesl. Roſſam* ſaepe nobis jam dictum pervenerit, e ſequentibus, partim principio, partim fini adjectis eruitur. 556

Gallus eram quondam qui librum tenui iſtum
Sed (Gallus) *jam non ſum: Quia ſaxa teno.*

In villa Krzeſſin anno 1536 Rogationum feria III ibi prope occiſus eſt quidam Sacerdos wolfgangus moraiius aduerſarius (Utraquiſtarum?) *Et in proximo Sabbato ſepultus Cimiterio gallus. In tempore Wenc. a proſſorouia gerens plebaniam in Horcepnik. — Ad manus Liber venit Wenceslai poſt Sacerdotem Gallum qui obijt in villa Skrzeſſim et ibi honorifice per manus Sacerdotum ſepultus 1536. Sabbato poſt Aſcenſionem domini. Sillaba in pede Crucis Horcepnenſium Roſſa tercio Anno plebanus (cognomento) ſcribit.* Quid *Sillaba in pede Crucis?* Modeſtiaene formula?

CII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 36. f. figuris pluribus picturatis insignitus continet 71 nunc VI. 3